Barlaeo. 29. octob.
~~Pa~~ Sprangę
in castris. 1636.

25

Dum te tenebris male feriatus exercet, Barlaee doctissime: quod cur tam obstinatè me celaueris nondum capio (nisi me Anonymum illum suspicaris) ego me ad exercitum, et, ecce, tecum exerceo. In noua fert animus. Libuit à via diuertere, et ~~natu~~ in majestate sua naturam ludos facere. Judica quo successu. nec parce immanibus ausis. Paucorum dierum iste labor et castrensis quid autem labor! feriæ fuerunt, ambulanti à meridie, pediti vel in equo sicut meus est, mos. Aduerte, si tanti est, an satis ~~[illegible]~~ ἐπιτυχείας ~~[illegible]~~, satis alibi vemuli vel acute nugatus sim. ~~[illegible]~~. fuit, ubi in specioso paradoxi commento desudaui; nonnullis facile defunctus. Verba utiq ad præuisam rem præcipiti venâ quam copiosissime, et quasi ἐκ χειμάρρου prouoluta sunt. congruis, Latinis, pressis adeò et neruosis cum cura uti conatus sum. saluâ, quantum potui, cuiusq rei charactere. Rogaui ne parceres. parce tu scriptori tamen ab opere librorum destituto, aulico et occupato. à quo inter omnes conuenire, nullam rem bene exerceri posse, non eloquentiam, non liberales disciplinas, legisti apud philosophum, qui, si Hispanos audias, ad Æbucium Liberalem septem libros scripsit de Veneficijs. nam crudeli populo scilicet Veneficium pro Beneficio est, et si respectulit atrocissimum facinus diluitur linguæ lapsu. Ama me et vale, cum amicis Vossio, Vicquefortio, Vondelio, et si ruri non est Eumanissimo Hofdio. Sprangę in Castris IX. Cal. Nou. CIↃIↃCXXXVI.

© Koninklijke Bibliotheek
KA 43b, 1636, nr. 25
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1496